



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Caput I. De Lege Naturali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

CAPUT I.

De Lege Naturali.

113. **Q**uodsi unquam, hac certè nostrâ atate TT. necessitate compulsi Juris Naturalis materiam sedulò discutiendam sibi sumunt, cùm *Liber-tini*, & *Increduli* in eo toti sint, ut omnia Juris Naturalis principia corrumpant, ac prorsus enervent. Fuere jam olim inter Philosophos non pauci, qui ab hominum opinione jus omne natum existimarent, negarentque ullum esse inter bonum & malum morale discrimen, aut quidquam naturâ justum vel injustum, honestum aut turpe esse. *Callides* apud *Platonem* ita *Socratem* alloquitur: *Veritas, o Socrates, ita sese habet: luxuria, intemperantia, licentia, modò facultas suppetat, virtus est atque felicitas. Cætera verò ista speciosa præter naturam adinventum hominum deliramenta sunt, nugæque penitus contemnenda.* Dicebat etiam *Carneades* *Epicuri* discipulus, *Jura* sibi homines pro utilitate sanxisse, jus autem naturale esse nullum: omnes & homines, & alias animantes ad utilitates suas naturâ ducente ferri, proindeque aut nullam esse justitiam, aut si qua sit, summam stultitiam esse, quoniam sibi noceret alienis commodis studens. Idem sentiebant *Arche-laus* Atheniensis, *Aristippus* Sectæ Cyrenaicæ Autor, *Epicurus*, *Pyrrhø* aliique plures, quorum impia dogmata recentiores non pauci resuscitarunt. Et quidem *Spinoza* in Tractatu Theologico Politico c. 16. ait: *Per Jus & Institutum naturæ nihil aliud intelligo, quam regulas naturæ uniuscujusque*

jusque individui, secundum quas unumquodque
 ut naturaliter determinatum concipimus ad certo
 modo agendum, & operandum. Exempli gratia
 pisces à natura determinati sunt ad natandum,
 magni ad minores comedendum. . . . Nec hinc ullam
 agnoscimus differentiam inter homines, & reliqua
 naturæ individua, neque inter homines ratione
 præditos, & inter alios, qui veram rationem igno-
 rant, neque inter fatuos, delirantes & sanos.
 Quod enim unaquaque res ex legibus suæ naturæ
 agit, id summo Jure agit; nimirum quia agit,
 prout ejus natura determinata est, nec aliud potest.
 Quare inter homines, quamdiu sub imperio solius
 naturæ vivere considerantur, tam ille, qui ratio-
 nem nondum novit, vel qui virtutis habitum non-
 dum habet, ex solis legibus appetitûs summo Jure
 vivit, quàm ille qui ex legibus rationis vitam
 suam dirigit: hoc est sicuti Sapiens Jus summum
 habet ad omnia, quæ ratio dicit, sive ex legi-
 bus rationis vivendi; sic & ignarus, & animi
 impotens summum Jus habet ad omnia, quæ ap-
 petitus suadet, sive ex legibus appetitûs viven-
 di. . . . Jus itaque naturale uniuscujusque homi-
 nis non sanâ ratione, sed cupiditate & potentiâ
 determinatur. . . . Quidquid itaque unusquisque,
 qui sub solo naturæ imperio consideratur, sibi
 utile vel ductu sanæ rationis, vel ex affectuum
 impetu judicat, id summo naturæ Jure appetere,
 & quacumque ratione, sive vi, sive dolo, sive præ-
 cibus, sive quocumque demum modo facilius pote-
 rit, ipsi capere licebit; & consequenter pro hoste
 habere illum, qui impedire vult, quominus ani-
 mum expleat suum. Similla jam ante Spinosam

docuerat HOBBS, videlicet homines esse naturâ ferociosiores lupis & serpentibus, ideoque eorum statum naturalem esse statum belli, omnium contra omnes; & singulos in ista conditione perpetuo intentos esse in aliis seu fraude, seu vi, seu quovis alio modo præoccupandis; ac consequenter cuivis in illo statu licere ea omnia, quæcunque & in quocunque libent, nec ullam dari legem, quæ fraudes & potentiam coërceat. Hinc ulterius statuit regulas boni & mali, honesti & inhonesti, pulchri & turpis non alias esse nisi leges civiles. Immo civitati quemque ait obedire teneri, sive in iis, quæ ad cultum divinum spectant, vel quæ ad vitæ institutionem, aut etiam opiniones speculativas pertinent, *quoniam ad civitatem, ait, pertinet etiam Christianam, quid sit justitia, quid injustitia, determinare.* Unde & aliud ejus dictum: *Nulla lex injusta esse potest.* Horum vestigia legit author libri recentioris, cui titulus: *apum fabula*, ubi id demonstrare potissimum aggressus est, virtutem non esse ex omni parte humanæ societati utilem; sed *privatorum vitia publica esse beneficia.*

Q U A E S T I O I.

An existat vera natura Lex.

114. **E**xistat Lex Naturalis, diffusa in omnes, qua
 Datur bona sunt, præcipiens, & prohibens inho-
 Lex nestra. Duo sunt, quæ hoc loco tamquam certa &
 nat. indubitata admitti postulatur, videlicet dari mentem æternam, summè intellectivam, infinitè bonam, & potentissimam; dein hanc Mentem, uti
 ex

ex nihilo produxit omnia, ita providentiâ suâ omnia regere, atque creaturas præsertim rationales sapientissimè moderari. Quæ sapiens, & provida gubernatio in id potissimum intenta est, ut res omnes, ac præ cæteris rationales creaturæ ad præstitutum sibi finem dirigantur, ideoque legibus regantur ejusmodi, quæ huic obtinendo fini idoneæ, maximeque necessariæ sunt. His postulatis, alibi demonstratis, hic admissis tamquam veris, adfertur ulterius sic demonstratur: Entis cujusvis sapientis est, temere & frustra nihil agere, sed operi suo finem certum præfigere; quoque magis sapienter agit, finem eò laudabiliorem operibus suis præstituit: testis est omnis hominum atas. Deus autem cum agens summè intellectivum sapientissimumque sit, quem alium nisi optimum & laudabilissimum suis operibus finem præstituiere possit? quis verò optimus finis nisi Deus ipse? igitur infinita Dei sapientia exigebat, ut ad se tamquam ad finem ultimum omnia referrentur, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt. Ad Deum itaque ordinatus est homo, ita quidem, ut eò melior perfectiorque sit hominis constitutio, quo fini suo ultimo prior evadit, omnem tum demum felicitatis suæ cumulum adepturus, ubi ad finem suum pervenerit: nam res omnes in hoc Universo eo imperfectæ magis habentur; quo longius à fine suo absunt, ut videre est in homine sive artifice, sive rebus sublimioribus intento, immo & in artefactis. Voluisse autem conditorem Deum, ut homo motu suo libero, & naturæ humanæ congruo ad finem suum pertingeret, vel ex eo colligimus, quòd mentem humanam ratione sana, & præstantissima

310 DE LEGE NATURALI.

libertatis prærogativa, qua nec bellæ, nec cæteræ res inanimæ donatæ sunt, ornaverit, cujus ope honestum ab inhonesto, à malo bonum discerneret, atque illud præ alio eligeret; igitur & normam dedit, ad cujus præscriptum electionem, actiones, moresque suos componeret. Quæ quidem norma si in quavis republica, immo in omni Familia bene ordinata summè necessaria est; illius necessitatem maximam quis in amplissima Societate humana in dubium vocare possit? Ex duplici nimirum parte homo coalescit, ex corpore & anima: illud per leges mechanicas, legibus moralibus ista gubernatur, perficitur, talisque evadit, qualem providus & sapiens Mundi Gubernator Deus esse voluit, ut rectè constituta sine suo potiretur. Præterea legem hujusmodi nobis omnibus ab Autore naturæ Deo communicatam esse testatur 1^o *justi & iniqui sensus*, quem nostris animis intimum experimur: est enim quædam vitæ ratio, quam necessariò probamus; sunt quædam vivendi principia tam manifestæ æquitatis, ut ab iis admittendis nemo sibi temperare possit; quæ temporum omnium, & locorum omnium communia sunt, quæ doctis & indoctis sponte innotescunt: suum cuique tribuendum, servandam fidem, gratam beneficiorum memoriam coli debere. *Quæ autem natio, inquit CICERO, non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit?* atque hic sensus tam naturalis, tam constans & uniformis est, ut nullis queat præfocari præjudiciis, nullis animi affectibus extinguï; viget in sceleratissimis hominibus, quibus

DE LEGE NATURALI. 311

quibus ita probata est virtus. ut invitè probent meliores. 2^o. Ratio, quæ in nobis est, cuique homini rationabiliter agenti sic adest perpetuus & domesticus monitor, ut veluti cum autoritate moneat; igitur vel ipsa legem dictat, vel Superioris cujusdam legem, qua informata est, præconis instar significat. 3^o. Est quoque in singulis hominibus *innocentiæ & delicti conscientia*, meriti & demeriti sensus, suavis illa gratissimaque voluptatis adfectio, quæ vitam, juxta rationis dictata institutam comitatur semper; terroresque illos & metus graves quis non experitur, qui magistram vitæ rationem sequi contemnit? damnant se ipsos malefici, gravi scelerum conscientia sententiam extorquente. Hæc autem involuntaria sui condemnatio annon luculentè prodit inter bonum & malum morale discrimen? cur alioquin homines mali proprias condemnarent actiones, ut sibi ipsis irascerentur? cur vel admissa futuræ vitæ suspitione sibi potius metuendum, quàm bonis, existimant? cur boni nihil metuunt, testimonium reddente illis conscientia? unde horum fiducia, illorum diffidentia, & anxietates? eccur mali Deum favere sibi non credunt, & bonos suppliciis adfectum iri? si igitur ne cogitare quidem possumus Deum probis & honestis inimicum, addictum malis & impiis; certè ipsa natura nostra malos à bonis separat, ac proinde actiones quoque hominis à ratione dijudicantur. 4^o. Sensui interno, rationi & conscientia consentiunt *naturales hominis propensiones*. Quod si enim singillatim spectemus omnia vitæ officia Deo, nobis ipsis, & aliis debita, nullum est, quod aliquâ propensione naturali nobis commendatum non

312 DE LEGE NATURALI.

Quis enim excellentissimam Dei naturam, atque infinitas perfectiones cogitare possit, quin admiratione defixus, ad Augustissimi Numinis adorationem procumbat? quis liberalem ejus, & profusam in creaturas bonitatem contempletur, quin gratos pro acceptis beneficiis sensus experiatur? vel unde factum, ut omnes Gentes in colendo Deo consenserint? ut plura taceam: lex naturæ omnis charitate continetur: ad diligendum verò, & benefaciendum aliis nos maximè inclinari testantur suavissimi illi sensus, quos ex datis proximo beneficiis experimur. Accedunt his omnibus scitæ quædam observationes, ex quarum numero est illa *Socratis & Platonis*, nullum videlicet esse juvenem rudem, qui, ubi de primis iisque practicis morum regulis aptè interrogetur, appositè non respondeat. Unde istud meritò colligitur, prima honestatis principia homini indita esse, cum sine hominum magisterio sciantur. Docet item experientia, perditos homines, qui sine honestate, & pudore commoda sua prosequuntur, æquum ferre judicium de cæterorum hominum actionibus; igitur divina vis est virtutis, quæ nulla morum perversitate vinci possit. Præterea flagitiosi etiam & scelerati homines aliquam virtutis rationem habent, ut enim ait *Cicero*: *Quis est, aut quis unquam fuit aut avaritiâ tam ardenti, aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem istam rem, quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad sese etiam omni impunitate propositâ sine facinore, quàm illo modo pervenire.* Igitur ipsa natura licet corruptissima improbitatem refugit. Denique nullus est,

est,

est, qui suas actiones etiam turpissimas defendere non studeat, & recti specie cohonestare,

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Illa vivendi præcepta, morumque principia, quæ naturæ leges dicuntur, quid sunt nisi præjudicata infantia & educationis opiniones, ad quas docti & instituti sumus? *Resp.* Equidem prudens & sedula institutio multum valet ad explicandas leges, quibus naturaliter imbuti sumus; sed si nulla naturæ nostræ congenita vis est, quo pacto sit, ut notiones iusti & iniqui tam generales sint, tam altè mentibus infixæ, ut evelli non possint? certè *opinionum commenta delet dies, naturæ tantum judicia confirmat.*

Inst. I. Si extarent ullæ naturæ leges, essent illæ ab ipsa mentis origine animis nostris congenitæ, essent universales, & omnibus hominibus per se notæ, essent in omni ætate uniformes & constantes: hisce enim criteriis id, quod naturale est, dignoscitur. Sed nullum est vitæ moralis principium, cujus semper conscii fuimus, de quo inter omnes conveniat, quodque in omni ætate constanter & uniformiter receptum fuerit. Sunt enim inter homines, qui ferarum more nihil aliud in animo habent, quàm ut corpus vitamque tueantur, de Deo, de Religione, de virtute & vitio nihil unquam cogitantes. *Resp.* Siqui sunt, in quibus congenita morum principia deprehendere non liceat; rari sunt, & homines ejusmodi, qui omnem bonam sementem cumulatim sceleribus ita præfocant, ut optatos proferre fructus non possit. Nempe parvulos de-

dit nobis natura igniculos, ut loquitur *Cicero*, quos aliquando homines celeriter malis moribus, & opinionibus depravatis sic restringunt, ut rarò admodum sanæ rationis lumen appareat. Nec tamen facile sit (quidquid itinerum Scriptores falsa sæpe narrantes in oppositum memorent) reperire uspiam mortalium aliquem omni sensu honestatis vacuum, aut divini Numinis metu penitus solutum. Quæ de Gentium barbararum moribus veluti aspera, & ab omni pietatis specie aliena dicuntur, recta sapius principia supponunt, sed perperam aptata: sic ægròtos & graviter decumbentes ubi aëris inclementiæ exponunt, ut citiùs moriantur; re ipsa quodam commiserationis adfectu ducuntur, ut velocius à miseriis & doloribus liberentur. Alii ex mero pietatis sensu parentes suos devorasse dicuntur.

Inst. 2. Si legem nobis congenitam habemus, quò factum est, ut in florentissimis etiam regionibus veluti in Græcia, & Republica Romana, ubi artes & scientiæ insigniter excolebantur, in rerum divinarum investigatione, ac recludendis doctrinæ moralis fontibus, viri etiam doctissimi tam turpiter hallucinarentur? *Resp.* Sunt quædam vitæ instituta, quæ primo intuitu vel naturæ nostræ congruentia & æqua videntur, vel ab omni ratione aliena: atque ista nemo nisi volens ignorare potest. Alia verò à primis & universalibus morum principiis remotiora sunt: & in istis magna Virorum etiam sapientum varietas esse potest, cum laudantur ab aliis, ab aliis reprobantur. Nempe omnino evidens non est, quid semper & in omnibus circumstantiis dicet ratio ad normam legis naturalis.

Gene-

Generatim tamen officia justitiæ & charitatis à Legislatoribus commendata fuisse novimus.

Inst. 3. Famosa est lex illa *Spartiacæ*, quæ Junioribus permittebat fraude alienas res surripere, cum tamen furtum à primo etiam naturali principio vetitum dicatur. *Resp.* Legem hanc dederat *Lycurgus* ad excitandam civium vigilantiam, ad acuendam adolescentum industriam, ut discerent vigilare noctu, interdium fallere, struere insidias, exploratores habere, atque ita adulti bello forent utiliores. Neque subdolæ hujusmodi surreptiones, eduliorum maximè, crimen habebant furti, eo quod lex ista condita fuerit consensu civium, quorum quisque de suo cessisse jure putandus est. Nunquam autem licuit rapere, & bona sua tuentem occidere.

Obj. II. Per Jus, & institutum naturæ nihil intelligi potest, quàm regulæ naturæ uniuscujusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo agendum. Determinamur autem ad agendum ex appetitu & juxta leges appetitûs, etiam majore vi, quàm ex sana ratione, aut juxta leges sanæ rationis. Ita *Spinoza*. *Resp.* Per Jus & institutum naturæ humanæ non intelliguntur regulæ, secundum quas homines ad agendum determinantur; sed regulæ, secundum quas intelligunt se agere debere tamquam creaturæ rationales: non intelliguntur *motiva electionis*, seu motiva omnia hominem ad agendum excitantia, quæ sæpe militant adversus rationem, sed *motiva approbationis*, quæ sunt rationis sanæ dictamina, adeo sancta, ut nullis corrumpi præmiis, nullis penitus extinguere vitiiis possint; quorum tanta vis est, ut impotenti appetitûs

tus commotioni parere non possumus sine angore & metu. Et quid tam absurdum est, quàm regulam dicere rem tam variam & multiplicem, quæ nunquam sibi constat, & quâ perpetuò in diversas partes distrahimur; quis nescit hanc esse naturam regulæ, ut uniformis sit, constans, flecti nescia? Duplex equidem animorum vis est, *ratio & appetitus*: hic verò, ut natura rationalis rectè constituta sit, nec in belluarum sortem delabatur, rationis imperio subditus esse debet: ipse enim ubi dominatum exercet, naturam omnem humanam pervertit, nam ut *Cicero* observat: ab appetitu non modò animus perturbatur, sed etiam corpus: licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, quò aut libidine aliquà aut metu commoti sunt, aut voluptate nimis gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur. Ex quibus illud intelligitur, appetitus omnes contrahendos, sedandosque, excitandamque animi animadversionem diligentiamque, ut nequid temere, fortuitò inconsideratè, negligentèrque agamus. Fræno igitur quàm maximè indigent appetitus nostri: & quomodo actionum norma esse possint?

Inst. I. Stoicorum celebris hæc erat sententia: supremum hominis finem esse naturam sequi, atque in hoc virtutem omnem positam esse. *Resp.* Intelligebant illi naturam, ad quam pertineret recta ratio, principatum obtinens. Certè per naturam humanam intelligi non debet quædam adfectio particularis, neque etiam complexio promiscua, & inordinata, seu cahos quoddam diversarum facultatum, sensuum & adfectionum; sed sicut in idea civilis constitutionis includitur partium subordinatio,

dinatio, ita & humana natura systema est facultatum diversas habentium functiones, & secum perfectè consentientium, inter quas ratio solum occupat. Tolle mutuam partium concordiam, auctoritatem dominativam & subordinationem, & rectam civilem constitutionem sustulisti; similiter sublato variarum naturæ virium concentu, & in omnes auctoritate rationis, recta naturæ humanæ constitutio evertitur, perfecta hominis felicitas exulat, nec multum homo ipse à belluis distat.

Inst. 2. Eorum saltem hominum, qui rectam rationem ignorant, & virtutis habitum nondum adepti sunt, Jus naturale est potentia & cupiditas, quia ab his naturaliter determinantur ad agendum. *Resp.* Monstrum hominis fit, non homo, qui rectam rationem ignoret: quid enim tam domesticum homini, quàm judicare, & ratiocinari in rebus omnibus etiam pessimis? præterea prima & universalis Legi naturæ principia ab homine sanæ mentis invincibiliter ignorari non posse, ex ipsa illorum evidentia liquet.

Obj. III. Nullæ sunt naturæ leges, si nulla sit hominum naturalis conjunctio, nec ad mutua officia à natura inclinentur: sed ita res se habet; ergo. Ita *Hobbes* in libri sui *de Cive* initio scribens: *Illud axioma, hominem esse animal politicum seu ad societatem natum, à plurimis receptum, falsum est; errorque à nimis levi naturæ humanæ contemplatione profectus est.* *Resp.* Egregium hoc impii systematis fundamentum unanimis Philosophorum, & Sapientum consensus, omnium seculorum experientia, omnes cujusvis hominis sensus, & facultates, ac propensiones naturales falsissimum esse

318 DE LEGE NATURALI.

esse, satis superque ostendunt. Plura ut præteream: vel ipse naturalis omnium hominum animis insitus justus, & iniqui sensus, meriti & demeriti conscientia ad promovendum aliorum hominum bonum naturaliter inclinant. Generosas & beneficæ actiones tum in nobis, tum in aliis sponte probamus: crudeles & inhumanas, quæcunque ex illis sentiamus commoda, laudare non possumus. Cum hoc sensu honesti & decori conjunctæ sunt propensiones generosæ & gratuitæ, quibus impellimur ad benefaciendum aliis absque ulla nostræ utilitatis consideratione.

Inst. 1. Jus non naturâ, sed pactis constitutum, ubi non præcessit pactum, nihil potuit fieri injustum, nec cuilibet inferri injuria; & vocabula justum & injustum ante potentiam civilem, quæ violationem pactorum ulcisci posset, usurpata non fuerunt. Ita Hobbes, in Lev. c. 15. Unde deducit regulas boni & mali, justus & injustus, honestus & inhonestus esse leges civiles; ideoque quod Legislatores præceperit, esse bonum; quod vetuerit id malum esse, legemque nullam esse iniquam posse, quoniam Reges, quæ imperant, justa faciunt imperando; quæ vetant, vetando injusta. De civ. c. 12. Resp. Si populorum jussis; inquit CICERO, si Principum Decretis, si sententiis judicum Jura constituerentur; jus esset latrocinari; jus adulterare; testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis & scitis multitudinis probarentur. Quodsi tanta potestas est stultorum sententiis atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur; cur non sanciant, ut quæ mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis & salutaribus?
aut

aut cur, cum lex ex injuria jus facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? atqui nos legem bonam à mala, nullâ aliâ nisi naturæ normâ dividere possumus: neque solum jus & injuria naturâ dijudicantur, sed omnino omnia honesta ac turpia; nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia; ea autem in opinione existimare, non natura posita, dementis est. Si justum & injustum solis pactis humanis constituitur; igitur qui potentiâ prævalent, suum cuique auferre possunt; & legibus fiet justum, a quo omnis natura abhorret. Si, quod ait *Hobbes*, natura jus dedit unicuique ad omnia, igitur quisque habebit jus, & non habebit: certè jus perfectum dicit negationem juris in quovis altero ad idem.

Inst. 2. Jus est libertas agendi juxta rectam rationem: sed ante legem civilem in statu naturæ recta ratio unicuique dabat Jus in omnia. *Resp.* Quomodo recta erit ratio, si nullâ lege gubernetur? certè ratio sibi relicta in temerarias & falsas opiniones abire facilè consuevit. Alterum quoque adsertum falsum est, quia ante omnem civilem constitutionem mendacia, adulteria, sui mutilationes, occisiones injustæ erant inhonestæ, neque in ista & similia ratio dare Jus unquam potuit.

QUAESTIO II.

Quid sit Jus Naturæ?

Juris Naturalis existentia quamvis omnibus rectè
sentientibus certissima semper fuerit; quæ ta-
Opi-
men nio

Hob. men illius vera notio sit, non una omnium esse
besii opinio. *Thomas Hobbes* Legem naturalem à Ju-
 & re naturali distinguit: hoc enim vocat *libertatem*,
Spino- quam quisque naturâ habet (L. I. de Cive c. I. §
nosæ. 7.) facultatibus naturalibus secundum rectam ra-
 tionem utendi: Legem verò naturæ appellat *dicta-*
men rectæ rationis circa ea, quæ agenda, vel
omittenda sunt ad vitæ membrorumque conserva-
tionem, quantum fieri potest, diuturnam. Im-
 pius *Spinosæ* uti Deum naturæ Autorem negare
 ausus est, ita omnem naturalem legem sustulit.
 Ne tamen nihil dixisse videatur; sive ut atheisticum
 suum systema magis explicet, *Jus naturale* dicit
 esse Dei potentiam, quæ est in natura, quæque
 est ipsa rerum omnium natura. Unde dicuntur
 homines *Jure naturæ & Jure suo* quidpiam agere,
 eum ex legibus suæ naturæ, *h. e.* ex legibus suæ
 potentiæ agunt. Proinde quodcumque possunt ho-
 mines naturæ vi, id *Jure* agunt: tantumque est
 uniuscujusque *Jus*, quanta potentia naturalis; qui
 igitur minimam habet potentiam, is minimum *Jus*
 habet, & propterea ab eo, cujus major est poten-
 tia, absumi se jure posse timeat necesse est, immo &
 omnes eos, qui æqualem habeant potentiam natu-
 ralem. Inde arguit *Spinosæ*, in statu naturali sin-
 gulos à singulis timere debere, adeoque statum
 hunc esse statum mutui timoris, & mutuæ inimi-
 ciæ. Absurdum hoc systema tribus non minùs ab-
 surdis fundamentis inædificavit *Spinosæ*, videlicet
 Dei potentiam, & Dei *Jus* idem omnino esse;
 eandem rem esse Dei potentiam & creaturarum;
 nec in Deo, nec in homine ullam esse libertatem.

DE LEGE NATURALI. 321

Lex Natura est ordinatio divina voluntatis 116.
necessaria circa actiones, & omissiones creaturae Jus
rationalis per lumen rationis promulgata. Deus natu-
 namque non minus hujus Universi sapiens ac pro-
 vidus Gubernator est, quàm Conditor: ac sicut
 leges mechanicæ, quibus tota rerum Univesitas re-
 gitur, Deum Autorem habent; sic primæ & uni-
 versales leges morales, quæ creaturas racionales
 dirigunt, ab eodem fonte dimanant. Et quidem
 leges hujusmodi morales omnino necessariae sunt:
 tametsi enim Deo liberrimum esset creaturas intel-
 lectu & voluntate præditas producere; posito ta-
 men illas producendi Decreto non poterat non Deus
 pro infinita sua sapientia, proque amoris, quo se
 ipsam amat, necessitate easdem ad gloriam suam creare.
 Summam igitur necessitatem habent racionales crea-
 turæ omnes colendi Deum, debitaque laudis, amo-
 ris & gratitudinis obsequia Deo præstandi; ea au-
 tem fugiendi omnia, quæ his officiis repugnant.
 Generatim verò non poterat non recta esse consti-
 tutio totius naturæ rationalis ab Autore Deo; igi-
 tur & summa fuit necessitas legum, quibus ista ob-
 tineretur.

a) Perperam igitur naturæ lex constituitur in ipsa na-
 tura rationali; hæc enim uti deficere, ita dirigi à lege po-
 test, ac debet. Nec sita est in dictamine rectæ rationis:
 nam recta ratio uti strictam superioritatem non habet, ita
 nec vim obligandi: & quacumque nunc vis obligativa in
 eadem agnoscitur, non ex se illam habet, sed ab ipsa di-
 vina lege, qua informata est.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Lex Naturæ est in nobis, juxta illud Apostoli ad Rom. II. *Cùm exim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Ergo. *Resp.* Lex naturæ est in nobis, quatenus intima nobis est recta ratio, ceu legis divinæ præco. Certè recta ratio pro priori ad imperium suum, jam dictat quædam esse formaliter honesta, alia inhonesta, quæ si ab homine fiant, digna suppliciis esse. Igitur jam supponit legem alia præcipientem, & alia prohibentem.

Inst. I. Ratio habet potestatem legis propriè dictæ, nam cuique homini in actionibus suis perpetuus & domesticus monitor adest, & monet cum autoritate, quæ duo requiruntur, & sufficiunt ad legem propriè dictam. *Resp.* Legis strictè sumptæ tres sunt præcipuè proprietates: ut sit regula certa agendorum & fugiendorum, clara & apud omnes promulgata; ut sit profecta à voluntate superioris, ut sanctione pœnarum & præmiorum sit confirmata; vel ut alii, ut sit ratio summa, ut sit ratio ejus, qui Jure imperet, ac subditos obligare velit, & possit. Jam verò Ratio secundum se nec summa ratio est, quia & ipsa indiget lege aliâ, qua regatur; nec superior est, quæ obligare possit sanciendo præmia, aut supplicia, sed hæc à solo Deo sancta intelligimus.

Inst.

Inst. 2. Atqui *Ratio* imperat hominibus, & pro autoritate imperat. *Resp.* Imperat *Ratio*, at non nisi lege Dei informata: tolle hanc legem: & omne *Rationis* imperium aut nullum, aut debile & infirmum intelliges. Neque penes *Rationem* est sanctione pœnarum aut præmiorum decreta sua confirmare, sed pœnas, aut præmia æterna decernere in solius Dei potestate situm est.

Inst. 3. *Ratio* humana est quædam participatio *Rationis* æternæ; igitur non minùs, ac ista vim obligandi habere potest. *Resp.* *Ratio* æterna Dei proprie non est lex, hæc enim necessariò dicit actum voluntatis, ad quem *Ratio* Dei practica præsupponitur. Dein *Ratio* humana ita est participatio divinæ *Rationis*, ut ipsa neque indefectibilis sit, neque immutabilis, ac proinde imperio divino obnoxia. Nonne & hominis sapientia, prudentia, ac similes creatæ perfectiones sunt quædam divinarum participationes: & quàm facilè nihilominus deficiunt?

Inst. 4. Vocatur idcirco lex naturæ, quia à natura dictatur, atque intra nos est, ita ut æque parum, ac ipsa natura abjici possit. *Resp.* Vocatur *lex naturæ*, quia per congenitum *rationis* lumen, non verò per revelationem externam, saltem ex necessitate, quantum ad prima & universalissima principia, nobis innotescit: dicitur esse intra nos, sive in cordibus nostris scripta, quia *Ratio* ceu præco illam nobis continuò promulgat, nosque officii nostri commonet, ut eidem legi obsecundemus. Atque hinc licet naturæ lex in Deo formaliter sit, à nobis tamen invincibiliter nequit ignorari.

324 DE LEGE NATURALI.

Inst. 5. Quod rectæ rationi consentaneum est, censetur justum; quod eidem inconueniens est, injustum habetur. *Resp.* Ita, ut ratio sit proxima & immediata iusti & iniusti norma, & quidem applicativa duntaxat. *Conc.* Ita, ut sit ratio ultima & formalis. N. A. Lex naturæ quia per lumen naturale rationis innotescit nobis, ita ut ad rationis dictatum magis, quàm ad ipsam legem à ratione distinctam attendamus; inde fieri amat, ut legem & præconem legis non discernentes, iusti & iniusti mensuram statuamus rationem ipsam.

Inst. 6. Inutile prorsus videtur discrimen inter legem & præconem illius, siue rationem. *Resp.* Ubi per rationem promulgari nobis legem naturæ dicimus, quin ratio sit ipsa naturæ lex, istud consequimur; nempe legem naturæ inuariabilem & immutabilem esse, eandem esse sanctissimam, à Superiore latam, qui omnes creaturas racionales obligare velit, possit, ac debeat, legemque suam sanctione pœnarum & præmiorum valeat confirmare. Quæ singula *Theista* ac *Libertini* facilius eludere conabuntur, quodsi rationem dixeris naturæ legem.

Obj. II. Lex divina est vox Dei imperantis clarè prolata, ita ut omnes qui obedire tenentur, sciant vocem ejus esse: sed leges naturales, quæ dicuntur innotescere per rationem, non sunt vox Dei clarè prolata; quia dictata rationis sæpius errori obnoxia sunt; sæpissimè etiam incerta; ergo. *Resp.* Prima & universaliora Juris naturalis principia tantâ claritate quibus vis hominibus per rationem intimantur, ut eadem sint apud omnes; & quamvis corruptis moribus obscurari possint, deleri tamen omnino non possunt.

Obj.

Obj. III. Doctrina, quòd Deus Dominium morale, idque universalissimum in homines exercent, est seditiosa, & Reipublicæ quatit fundamenta: nam 1^o. civium erga Principes obsequium minuit, quia horum potestas conservatur metu civili, qui minuitur, quoties excellentior potestas metui debet. 2^o. Jus Principum ad certos limites restringit, quod nullis contineri finibus debet. 3^o. Tollit unitatem voluntatis, & concordiam in civitate profus necessariam. Ita famosus *Hobbes*, qui *L. de Cive c. 14.* contendit, Civitati universaliter, & in omnibus obediendum esse, adeo, ut si quæretur, an obediendum civitati sit, si imperetur Deum colere sub imagine, coram iis qui id fieri honorificum esse putant, certe faciendum sit. *Ibid. c. 15.* Unde arguit ulterius, legibus illis: *Non occides, non mæchaberis, non furtum facies, honora patrem*, nihil aliud præcepisse Christum, quàm ut cives & subditi suis Principibus in quæstionibus omnibus circa *meum, tuum, suum, alienum* absolutè obedirent. *Resp.* Quæ doctrina magis seditiosa esse potest, quàm illa *Hobbesii* ejusque sequacium vel *Atheorum*, vel *Theistarum*? tolle legem Dei Sanctione pœnarum æternarum confirmatam, & quotus erit quisque ex miseris & calamitosis subditis, qui diuturnis calamitatibus fractus jugum legis civilis omne non excutiat? ad *Imum*. Falsum est, civile, nisi forte tyrannicum, imperium solo metu contineri: præterquam enim, quòd sanctione præmii & supplicii leges confirmantur: imperium civile metu & pietate adversus Deum vel maximè continetur: præcipua hæc sunt legum adminicula, quibus sublatis nullum vinculum retinebit

tinebit eos, qui peccare poterunt impune. Ad 2dum. Jus Principum esse infinitum, fingit *Hobbesius*: ipsæ gentes barbaræ nonne scelera, & impietates suorum Principum detestatae sunt? sc. quod jure fit, id justè fit: est autem æquitas certis finibus conclusa: si enim naturâ suâ datur justum; igitur & injustum datur. Ad 3tium. Legum naturalium vincula adeo subditos à Principe non divellunt, ut cum illo omnes vel maximè constringat. Ipse adeo *Machiavellus* Rempublicam tum demum optimè constitutam æstimabat, quod si cives communibus Religionis præceptis obedirent.

QUAESTIO III.

Quod sit principium cognoscendi Juris naturalis?

IL7. **P**incipium obligationum naturalium aliud non esse nisi imperium Dei morale, ex dictis colligitur. Hic sermo est de principio cognoscitivo, ex quo sc. intelligi possit illud morale Dei imperium sive quæ Deus necessario præceperit hominibus agenda, & fugienda. Diversissimæ sunt hac in parte AA. opiniones. Omissis aliis sequentia potissimum Juris naturalis principia cognoscitiva attendi merentur. Imum est famosum illud apud Protestantes plerosque principium *Socialitatis*, de quo *Hugo Grotius* in Prolegomenis §. 7. & 8. *Puffendorfius* de J. N. & G. L. 2. c. 3. *Thomasius* in *Inst. Jurispr. div.* L. 1. c. 4. *Bæclerus* in *Grotium*, aliique multa differunt. Hujus doctrinæ systema paucis ita reddi potest: Proprietates natu-

naturæ humanæ naturales & congenitæ ad Deum naturæ totius Autorem referri debent: inter istas autem proprietates est appetitus societatis tranquilla & pacatæ; hic igitur appetitus à Dei voluntate est. Vult ergo Deus, ut societatem hanc sanctè custodiamus, ideoque præcipit ea, quibus fovetur societas; vetat autem illam subvertere. Jure igitur naturæ censentur præcepta, quæ ad conservandam societatem humanam necessaria sunt; & eodem Jure prohibita, quæcumque huic Societati repugnant. 2dum est *Richardi Cumberlandi* in Opere de LL. natura *Londini* in Anglia anno 1672 edito, qui legem naturæ fundamentalem ex creaturæ rationalis fine repetendam censet, atque ita ferè discurret: finis hominis est beatitudo qualiscumque, cujus homo est capax: beatitudo autem, quæ homini in terris degenti contingere potest, in duobus est posita, ut corpus sine dolore, & absque ægitudine sit animus: his igitur duobus totus præsentis hominum vitæ finis absolvitur. Hunc finem Deus ipse voluit, quia ad illum natura nostra toto suo pondere inclinatur; ac proin Deus etiam vult adhiberi ab homine ea omnia media, quæ eum finem spectant, vetatque contraria. Exinde Auctor non imperitè deducit officia Deo, sibi & proximo naturaliter debita. 3tium est *Wolffi* hanc regulam fundamentalem statuentis: *Quæ te, statumque tuum perfectiorem efficiunt, facito: ea autem, quæ te tuumque statum reddunt imperfectiorem, caveto.* 4tum est *Wollaston* Angli in eo opere, quod ante annos haud multos adversus Atheos, & Theistas scripsit (*Ebauche de la Religion naturelle*) primam ac supremam

328 DE LEGE NATURALI.

vitæ morumque regulam statuentis *veritatem realem naturalem*: quo nomine intelligit eas habitudines, & connexiones, quam quisque hominum habet ex naturæ suæ conditione ad Deum Autorem, & ad cæteras hujus Universitatis partes, ex quarum numero ipse est. Tandem *Heineccius* in *Elem. J. N. & G. c. 3.* sic statuit: 1^o. Deus utpote *Ens infinitæ Sapientiæ & bonitatis* id maximè cupit, ut homines, quos condidit, verè felices ac beati sint. 2^o. Hæc felicitate ut homines libertatis suæ usu potirentur, Deus decrevit. Hæc autem Dei voluntas fons est universi Juris, ac justitiæ; igitur *lex & Jus naturæ* id unum respicit, ut actiones hominis liberæ ad veram felicitatem tendant. 3^o. Hæc porro felicitas in fruitione boni, malique absentia sita est: proinde lege naturæ istud Deus intendit, ut homo vero bono perfruatur, & malum evitet; frui autem bono quia nonnisi per amorem possumus, idcirco Deus lege naturali ad amorem nos obligat, earum sc. rerum, sine quibus vera felicitas nequit obtineri. Quocirca etiam Christus ex amore universam legem pendere docuit, & *Apostolus* charitatem vocat *summam legis, & finem præcepti*. 4^o. Ex ejus autem rei, quam amamus, præstantia & felicitate quia voluptatem capimus, eamque rem, quantum in nobis est, amplificare & conservare adnitimur; & contra quod odimus, id infelicissimum potius, quam felix esse cupimus; sequitur amantem nihil agrè velle aut facere ei, quem amat; istud enim est odisse, sed velle potius omnia in eum bona, quoad potest, conferre. 5^o. Objecta, quæ à nobis amari possunt, ac debent, tria sunt, videlicet *Deus, nosmet ipsi, & alii*, nam
sine

sine horum amore felices ac beati esse non possumus. Deus amore devotionis amandus: nos amore amicitiae, alii item amore amicitiae, quia aequales; hic itidem amor vel est justitiae, vel humanitatis & beneficentiae. Amor devotionis seu obedientiae est amor entis praestantioris perfectiorisque, cujus praestantiam ac felicitate ita delectamur, ut illud omni cultu & obsequio dignum aestimemus. Amor justitiae est is amoris amicitiae gradus, quo quem prosequimur, nullo modo laedere volumus. Amor benevolentiae est is amoris amicitiae gradus, quo quem diligimus, omni meliore modo juvare studemus. 6^o. Deus cum sit Ens perfectissimum, a quo toti pendemus, lex naturae jubet, ut illum totius animi visibus colamus, eique cultum praestantissimum, ac internum praeripimus exhibeamus. Nostrum ipsorum amor cum nequeat aliter comparatus esse, quam ut ad felicitatem perfectionemque nostram consequendam & amplificandam vires omnes intendamus, quoad fieri potest salvo amore, quem Deo aliisque naturaliter debemus; atque ideo homo nihil eorum, quae ad perfectionem & felicitatem propriam comparandam, conservandam, augendamque pertinent, praetermittere debet, cum id sine amoris Dei & proximi violatione fieri potest; ea autem vitare omnia debet, quae perfectioni & felicitati propriae contraria sunt. Denique ceteri homines quia nobis naturam aequales sunt, haec autem naturae aequalitas aequalia etiam amoris officia exigit, sequitur fas esse, ut alterius felicitate non minus, quam nostram delectemur, ac proinde alios ita, ut nosmet diligamus. Ex quo ulterius sequitur,

330 DE LEGE NATURALI.

tur, nos proximo nihil velle, nec facere debere, quod ipsi nobis fieri non volumus.

YI8. In tanta opinionum varietate ut quid vero pro-
 Notæ prius statui possit, certi quidam characteres princi-
 prin- cipii hujusmodi cognoscitivi figendi sunt: nec enim
 cipii de qualicumque, sed de fundamentali, adæquato,
 cog generali ac ultimo dignoscendæ obligationis natura-
 nosci lis principio sermo est, sive de propositione gene-
 tivi. rali certa, facilè intelligibili, atque sic fundata in
 naturali ratione, ut ex ea tamquam ex fundamen-
 to, & radice omnes & solæ Juris nat. obligationes
 aut evidenter fluant, aut saltem non difficulter in-
 telligantur ab intellectu rectè disposito. Sequentes
 igitur conditiones requiruntur. 1^o. Ut sit *pri-*
imum, alioqui non est fundamentale. 2^o. Ut sit
adæquatum, h. e. cuivis particulari casui circa obli-
 gationem naturalem adcommodatum, ita ut ex eo
 omnia officia erga Deum, nos ipsos & proxi-
 mum certò fluant, & naturaliter præcepta esse in-
 telligantur. 3^o. Ut sit *unicum*, quia inter plura
 redibit sermo, quodnam primum & fundamentale
 sit. 4^o. Ut sit *proprium*, h. e. soli obligationi
 naturali dignoscendæ serviens. 5^o. Ut sit *verum*
 & *certum*: ex falso enim falsa potius & erronea
 obligatio deduceretur. Certum autem & quoad se
 saltem evidens esse debet, quia esse debet criterium &
 principium indicativum obligationis naturalis respec-
 tu cujusvis hominis etiam plebeji, immo & gentilis,
 quia & isti obligationis naturalis vinculo tenentur.
 6^o. Denique ut sit *ultimum*, ad quod tamquam ad
 fundamentum cætera omnia inadæquata, tam me-
 diata, quàm immediata principia reducantur, in
 eoque sistant.

Princi-

Principium ultimum, adequatum, & fun- 119.
damentale digoscendæ obligationis naturalis est Est
ipse Deus quæ Autor & Governator naturæ ratio- Deus
nalıs infinite perfectus, ut adeo quidquid sapientiæ, ipse.
 providentiæ, justitiæ, vel alteri perfectioni Dei
 qua Autoris & Governatoris naturæ rationalis *di-*
rectè opponitur, id censendum sit ab eo sub gravi,
 vel levi culpa necessariò prohibitum: quidquid ve-
 rò perfectio ejus ad sapienter creandam, & provi-
 dè gubernandam naturam humanam *directè* exige-
 bat, & exigit præcipi, id necessariò præceptum esse
 intelligatur. Contra verò: omne id, quod nulli
 perfectioni Dei qua Autoris & Governatoris natu-
 ræ directè opponitur, Jure naturali nec præceptum
 est, nec prohibitum. Nempe Deus supposito liber-
 rimo suo Decreto de homine ad imaginem, & similitu-
 dinem suam producendo non potuit non alia necessa-
 riò præcipere, & prohibere alia: hujus autem insu-
 perabilis necessitatis ratio immediata, ultima &
 fundamentalis nequit esse alia, quàm Deus ipse
 summè perfectus, qui illud solum extra se necessa-
 riò facit, & constituit, quod summa ejus perfectio
 essentialiter exigit, & id solum necessariò omittit,
 & ab aliis fieri prohibet, quod perfectioni suæ re-
 pugnat. Estque hoc principium *certum*, quia du-
 ce ratione certissimè intelligimus ea naturaliter præ-
 cepta esse, quæ Deus ut Autor, & Governator na-
 turæ rationalis infinite perfectus præcipere debuit,
 ea autem Jure naturali esse prohibita, quæ divinis
 perfectionibus repugnant. Cumque ea Jure nat.
 præcepta & prohibita esse dicuntur, quæ intrinsecè
 vel radicaliter bona vel mala sunt; hujusmodi in-
 telligimus illa esse, quæ divinas perfectiones vel
 abso-

332 DE LEGE NATURALI.

absolutè necessariò commendant, vel illis directè contraria sunt. Est *adequatum*, quia nullum cogitari præceptum naturale potest, quod in illo non comprehendatur. Sic intelligimus v. g. Juro nat. præcipi erga Deum *Religionem, obedientiam, vetari idololatriam, superstitionem, perjurium &c.* quia nisi Deus illa præciperet, hæc prohiberet; non regeret sapienter ac providè naturam humanam: hæc enim frustra juberetur tendere ad finem suum ultimum, eum amando, & perfectiones ejus in se manifestando, eo modo, quo naturaliter potest, quodsi Deus illi tamquam licita permisisset omnia, quæ fini huic adversantur; aut non præciperet media ad finem hunc simpliciter necessaria. Est *proprium*, quia solam manifestat obligationem naturalem & necessariam. Est *ultimum*, quia sive ex recta, vel mala constitutione, sive ex felicitate aut habitudine naturæ rationalis ad finem suum, sive demum ex amore, aut socialitate discernere conemur, quid in casu particulari lege nat. præceptum, aut prohibitum sit; quæstio adhuc erit: quid illud sit, quod Deo necessitatem imponat, per legem nat. præcipiendi amorem, socialitatem, aut naturæ humanæ felicitatem procurandi?

120. Principium proximum, quodque intra nos est, rectè constituitur in amore, quem Deo, nobis & proximo naturaliter debemus: quæ regula ita concipi potest: *Fac, vel omitte ea, quæ ex amore, Deo, tibi & proximo naturaliter debito, h. e. ad felicitatem naturæ rationalis propriam, necessariò vel faciendâ, vel omittendâ sunt.* Vid. num. 117. Non tamen velim hic intelligas amorem *animalem*, sed *rationalem*, qui est adfectio animi, qua quis sibi

sibi vel alteri bona cupit, ea procurando, & mala opposita amovendo, sic ut in boni præsentia, malique absentia, tamquam in concupita felicitate quiescat, & delectetur. Per amorem verò *naturaliter debitum* intelligitur ille, qui in natura rationali, ejusque exigentiâ fundatur, aded ut non sit amor quidam ethicus meræ devotionis, beneficentiæ, seu humanitatis, sed amor naturali Jurisprudentiæ proprius, *h. e.* amor justitiæ tam rigorosæ, quàm minùs rigorosæ, sive æquitatis in naturæ debito fundata, cujus motivum est honestas illa, quæ elucet in dando cuivis bono naturaliter debito. Dicitur hic amor in *naturæ debito*, sive exigentiâ fundatus, quia est medium simpliciter necessarium ad præstitutum creaturæ rationali finem consequendum, *h. e.* ad felicitatem naturæ rationalis propriam. Hæc porro felicitas in hac vita constituitur in pace & amicitia cum Deo, secum ipso, & proximo: quo enim pacto fieri possit, ut verè beatus sit, quem inter & Deum mutua inimicitia intercedit? neque homo verè beatus est, nisi ipse sibi amicus sit excolendo sese, ac perficiendo iis virtutum habitibus, quibus privata publicaue vita tranquilla & beata efficitur; quod nisi faciat, ne suâ quidem amicitia dignus esse potest, quæ esse nequit nisi inter bonos. Dein qui sui culturam negligit, aut ea sectatur, unde incommoda longè maxima in se derivantur, suus sibi hostis est; igitur amicus non est. Igitur quisque sic vivere debet, ut nihil in se admittat, quod vereatur amico facere; nihil omittere, quod amicitia poscit. Cùm autem amicitiam sibi quisque debet, igitur sibi debet, ut bonus sit; ergo omnes sibi debent, ut

hat

sint viri boni; inter bonos verò natura ipsa communis amicitia est. Sed & in mutuam felicitatem conspirare debent omnes, quæ sine mutua amicitia obtineri nequit. Fac omnes sibi mutuò esse amicos: erunt omnes viri boni, omnesque beati: nam quæ vitam humanam reddunt miseram, ea sunt mala, quæ aut nostrâ nobis ignorantia, aut malitia procreamus, aut alii aliis inimicè inferre consueverunt. Pone etiam omnes sibi invicem infestos, & inimicos: quid vitâ humanâ miserius? Homo igitur beatus est, qui triplicem illam amicitiam colit, à qua divelli nequit publica privataque tranquillitas, qua beati efficimur. Unde etiam nihil prohibet, quominus studium amicitia cum Deo, tecum ipso, & proximo inter media simpliciter necessaria numeres ad tranquillitatem cum privatam, tum publicam obtinendam, quæ sit ipsa hominis felicitas, & beatitudo. Verum tamen triplex illa amicitia secundum rem non differt à triplici amore, quem Deo, nobis ipsis, & proximo naturaliter debemus, quia omnis rectè amans est verus amicus, & vicissim.

¶ 21. Ex triplicis amoris principio ut intelligere possis, quæ justa sint, aut injusta, honesta aut turpia; dicatino spiciendum est, ubi quid agendum occurrit, 1^o. an principii. necessarium sit ad conservandum Dei amorem, an huic adversetur; an neutrum? si 1^{um}, faciendum erit; si 2^{dum}, omittendum; si 3^{tium}, intelligitur permissum, modò non repugnet amori, quem tibi & aliis naturaliter debes. 2^o. Utrum sit necessarium ad rectum nostri amorem, an huic contrarium, an neutrum? in primo casu agendum est: in 2^{do} omittendum; in 3^{tio} permissum est, si

si nec Dei, nec aliorum amori adversatur. 3^o. An necessarium sit ad amorem erga proximum, an contrarium, an neutrum? primum præcipitur, alterum prohibetur, & quidem ut injustum, si amori justitiæ, ut turpe autem, si amori beneficentiæ & humanitatis repugnet. Si tertium, permittitur nisi amori Dei & nostri officiat. Similiter principium triplicis amicitia ita explicat GENUENSIS *Tom. IV. c. 12.* II. Quæ cum amicitia Deo, nobis & aliis debita directè pugnant, lege nat. prohibentur. Cujusmodi sunt odium Dei, impietas, suicidium, adulterium, calumnia, detractio, furtum. II. Lex naturæ præcipit ea, sine quibus amicitia illa nequit consistere, qualia sunt cultus Dei in- & externus; cultura sui, stare pactis. III. Quæ hanc amicitiam magis perficiunt, quin omissa illam dissolvant, ea lex nat. suadet. Huc pertinent Consilia Evangelica, & virtutes heroicæ. IV. Quæ sunt talia, ut si adsint, amicitiam non dirimant, quin tamen sinant perfectam esse, ea lex naturæ dissuadet, vel etiam prohibet sub levi culpa. Quæ pertinent defectus leves. V. Quæ vel omissa, vel posita amicitia nihil addunt, nec derogant, censentur permissa naturali libertati. Hujusmodi enim sunt extra finem & objectum legis. VI. Dantur alia jure nat. *relative* duntaxat præcepta, aut prohibita, quæ sc. in certis solum circumstantiis ad amicitiam vel necessaria sunt, vel eidem adversantur. Sic injusta tantum occisio prohibita est, & præceptum duntaxat est Jure naturali dare elemosynam indigenti.

Respon-

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Principium *num. 119.* adsertum non est *proprium*, nam ex eodem non magis inferitur obligatio legis nat. quàm positivæ, quia utriusque legis transgressio repugnat perfectionibus divinis, & præprimis Sanctitati, quæ facit, ut Deus omne peccatum odio habeat, etiam contra legem positivam admissum. *Resp.* Equidem utriusque legis transgressio perfectionibus divinis repugnat, at non eodem modo, nam transgressio legis positivæ solùm formaliter spectata, quatenus mala quia prohibita, & actu aliquem Legislatoris contemptum continet, divinis perfectionibus, & maximè Sanctitati repugnat; quin tamen ipsa etiam materia legis positivæ iisdem perfectionibus divinis in se, ac radicaliter & intrinsecè contrarietur, uti fit in transgressione legis naturalis. Quæ enim lege naturali prohibentur, ideo prohibentur, quia in se mala sunt, utpote divinis perfectionibus repugnantia.

Obj. II. Clarum non est hoc principium, cùm idea divinarum perfectionum sit nimis obscura, præsertim respectu rudium. *Resp.* Perfectionum divinarum vulgaris notitia cuivis intellectui facta clara & evidens est, modò vires suas attentæ, uti debet, considerationi impendat: quis enim rudium ignorare possit, Deum esse unum, providum, summè sapientem, justum, sanctum omnisque imperfectionis expertem? adeoque quòd sicut humanam naturam condere imperfectam non potuit, ita nec improvidè possit gubernare?

Obj.

Obj. III. Multa sunt hominis officia, quibus correspondentem in Deo perfectionem non reperi-
mus, veluti dare mutuum indigenti, reddere cre-
ditum, revereri parentes, testari gratitudinem.

Resp. Generatim intelligimus ea omnia Jure nat.
præcepta, quæ prorsus necessaria sunt, ut Deus
mundum hunc sapienter & providè gubernare cen-
seatur; ea autem prohibita, quæcumque sapienti
huic, ac providæ gubernationi officiant, quin ne-
cessum sit cuivis actui præcepto, aut prohibito
peculiarem Dei perfectionem assignare.

Obj. IV. Sequitur ex hoc principio, Atheos no-
stri temporis non peccare adversus nat. legem,
quia sicut nec Deum, ita nec divinas perfectiones
agnoscunt.

Resp. Atheismum non esse errorem
intellectûs, sed voluntatis, notissimum est. Sed
id genus hominibus quod statues principium, ad cu-
jus normam actiones suas componant? *Scriptis*
Deus naturæ legem (inquit S. AUGUSTINUS in *Ps.*
57.) *in cordibus hominum, quam non sinit igno-*
rare, ut esset, unde judicarentur.

Obj. V. Nequit satis explicari, quid sit *directè*
opponi Deo quâ Autori & Governatori naturæ ra-
tionalis? *Resp.* Quidquid ita comparatum est, ut
si naturæ humanæ à Deo prohibitum, vel præce-
ptum non esset, ille imperfectus Autor, & impro-
vidus Governator censeretur; æstimatur dire-
ctè opponi perfectionibus Dei quâ Autoris, & Gu-
bernatoris naturæ humanæ. Finge, amoris officia
ad rectam constitutionem naturæ rationalis necessaria
à Deo præcepta non esse, aut non esse prohibita, quæ il-
lis adversantur, v. g. idololatriam, furtum, suicidium

&c. an Deum sapientem ac providum Governatorem æstimaturi essent homines?

Obj. VI. Legis nat. effectus sive obligatio æque bene infertur ex sola recta constitutione naturæ humanæ, immo melius & clarius, ac ex divinis perfectionibus. *Resp.* Quæcumque ad rectam naturæ humanæ constitutionem pertinent, ea & nos censemus jure nat. præcepta, & eodem Jure prohibita, quæ illi constitutioni adversantur; atque adeo inter principia particularia immediata eidem locum concedimus, id solùm negantes, eam principii ultimi & fundamentalis loco haberi posse. Age enim: cur Deus non potuit non intendere rectam hujusmodi constitutionem naturæ rationalis? nonne quia infinitè sapiens, bonus & providus ejusdem naturæ Autor & Governator est.

Obj. VII. Juris positivi divini principium fundamentale est amor supernaturalis erga Deum, se ipsum & proximum: cur amor naturalis non sit criterium obligationis naturalis? *Resp.* Triplicem illum amorem naturalem esse inter principia immediata, ultrò fatemur: non tamen est ultimum. Dic, cur debeam necessariò amare Deum, me ipsum & proximum? respondes: hoc exigit felicitas naturæ humanæ. Quæro iterum: cur Deus istam felicitatem non potuit non intendere, atque ad eam obtinendam necessariò præcipere triplicem amorem illum? numquid, quia infinitè bonus, sapiens ac providus naturæ humanæ Autor, & Governator est. Ad socialitatem *Puffendorfsianam* quod attinet: illa prorsus rejicitur tamquam principium ultimum & adæquatum, quia aut omnino non, aut non nisi indirectè, & veluti per concomitantiam
expli-

explicat officia Deo debita; officia autem erga se ipsum & proximum ea solum directè & primariò attingit, quæ externa sunt, atque ideo secundaria, veluti socialem aliis sese exhibere, cum illis sermocinari, tractare negotia, in commercio aliorum vivere, si velit esse defensus, &c. Præterea societas nec absolutè, nec singulis hominibus præcepta est, potestque homo sine socio vivere, non tamen sine lege naturali. Pariter criterium obligationis naturalis nequit constitui in convenientia, aut disconvenientia cum felicitate naturæ humanæ, quod illius patroni sic explicant: *Quidquid simpliciter expedit esse licitum ad felicitatem humanæ naturæ, id omne spectato Jure nat. est licitum: Item: Quod in ordine ad eundem finem simpliciter expedit esse præceptum, vel prohibitum, id omne Jure naturæ obligatorium est.* Id verò omne simpliciter expedire, aut non expedire dicunt, in cujus licentiam, vel prohibitionem homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab Autore nat. requisiti tulissent suffragium, Sed præterquam quòd principium hoc in fictione & inani divinatione consistat; nec proprium est, quia competit etiam legi positivæ consensu Gentium introductæ; nec ultimum, quia semper redit quæstio, cur Deus necessariò prohibuerit v. g. mendacium etiam officiosum? certè consensus ille conditionatus hominum in prohibitionem ejus non potuit Deo imponere absolutam illud prohibendi necessitatem, cum Deus à nullo extra se possit necessitari. *Melanchthon, Bæcklerus,* & alii pro principio Juris naturalis, ejusque obligationis indicat, vò perperam statuunt solum Decalogum: nam iste

non continet omnem, & adæquatam legis nat. materiam v. g. prohibendo mendacium merè officiosum, nec præcipiendo dilectionem inimicorum, quatenus hi proximi nostri sunt; proinde Decalogus neque est principium fundamentale adæquatum, neque etiam ultimum, quia ex eo colligi nequit absoluta necessitas eorum, quæ in illo præcipiuntur, & prohibentur. Adde, quod Decalogus *secundum formam suam* sit opus revelationis divinæ externæ, adeoque incognitus Gentilibus, quibus lex prædicata non est, qui tamen uti lege nat. obligantur, ita commune cum cæteris principium obligationis nat. indicativum habere debent.

QUAESTIO IV.

Utrum Præcepta Juris naturalis mutabilia sint?

122. **Mu-** **L**ex dicitur *proprie* mutari, cùm manentibus
 tatio
 du
 plex. **L**iisdem circumstantiis, vel ex toto, vel ex parte tollitur, veluti per abrogationem, aut dispensationem. *Improprie* autem mutari dicitur, quando mutatio non ipsam legem, sed ejus duntaxat materiam adficit, ita ut hæc à lege, seu Legislatoris mente veluti extrahatur, adeo ut non amplius sit sub prohibitione, aut præcepto legis; quod fit, si circumstantia, quæ obligationem fundat, mutetur. V. g. Furtum, quod est ablatio rei alienæ invito rationabiliter Domino, est Jure nat. prohibitum: & sub hoc conceptu non potest non ab eodem Jure prohiberi, neque lex ista umquam mutari potest. Quodsi tamen vel ipsius rei Dominus
 consen-

consentiat, aut Deus rerum omnium Dominus dominium rei in alium transferat, materia censetur eximi à lege, ut ista non amplius prohibita sit, quia furtum non est, manente interim lege furti prohibitivâ,

Præcepta Juris naturalis prorsus immutabilia 123.
sunt. Etenim lex propriè mutari potest dupliciter, Jus
ab intrinseco, veluti cùm noxia sit, irrationabi-^{nat.}
 lis & injusta; & *ab extrinseco*, ut cùm ab ipso ^{est}
 Legislatore abrogatur in totum, vel ex parte in ^{im-}
 ea dispensatur: neutram verò mutationem sustinent ^{muta-}
præcepta Juris naturalis: non immam, quia sunt ^{bile.}
 ordinationes divinæ essentialiter rectæ, & quidem
 independentes à libero Dei arbitrio. Præterea
 quod ex natura sua malum est, semper est tale;
 igitur non potest desinere lex negativa, quæ illud
 prohibet. Neque cessare potest lex affirmativa, quia
 quæ Jure nat. præcipiuntur, ea præcipi exigunt
 perfectiones Dei quæ Autoris & Gubernatoris natu-
 ræ humanæ. Sicut igitur Deus non potest non sem-
 per esse infinitè bonus, sapiens, & providus Au-
 tor & Gubernator naturæ rationalis; ita semper
 necessariò ea præcipit, quibus divinæ hæ perfectio-
 nes commendantur. Ac proinde nec *quædam* mu-
 tationem patiuntur leges naturales. Immo nec
epikiam propriè talem admittere lex nat. potest,
 hæc enim est, qua non præcisè interpretamur,
 sed emendamus legem, & casum clarâ lege com-
 prehensum, ex benigna interpretatione mentis Le-
 gislatoris à lege excipimus: talis autem emenda-
 tio nequit dari in præceptis naturalibus. Tria siqui-
 dem præceptorum naturalium genera dantur: aliud
 præceptorum universalium, veluti *malum non es-*

342 DE LEGE NATURALI.

se faciendum, bonum esse sectandum: atque ista, omnem semper vim habere, nec posse non obligare, extra dubium est. Aliud continet conclusiones quasdam immediatas, & principiis universalibus primis veluti intrinsecas, uti *præcepta Decalogi*; & hæc non minus, ac illa semper obligandi vim necessariam habent, quia & horum objectum ex natura sua vel bonum, vel malum est. In tertio genere continentur præcepta à primis principiis magis remota, quæ tamen circa idem objectum, ut illa, versantur; atque ideo in quovis casu particulari obligant.

Respondetur ad objecta.

Obj I. Justum & injustum non sunt in rerum naturis posita, sed honestas & turpitudine sunt affectiones actionum humanarum; ortæ ex convenientia, aut disconvenientia cum norma seu lege; lex autem omnis est voluntaria superioris constitutio; proin honestas & turpitudine à voluntaria Legislatoris constitutione derivantur. *Resp.* Equidem justum, & injustum *formale*; sicut honestas *formalis*, & turpitudine nate sunt ex conformitate, aut difformitate cum lege, quia ubi non est lex, ibi nec prævaricatio; justum tamen, & injustum *radicale* intelligitur ante omnem legem, etiam naturalem, quia abstrahendo ab omni lege proprietati sunt quædam divinis perfectionibus repugnantia, atque ideo prohiberi exigunt à Deo; alia vero ad commendandas divinas perfectiones simpliciter necessaria, & præcipi exigunt. Unde id ulterius sequitur, posito libero voluntatis divina Decreto

creto de producendis creaturis intellectivis, Deo liberum non fuisse præcipere alia, alia prohibere; sed legem naturalem esse ordinationem divinæ voluntatis omnino necessariam.

Obj. II. Fieri potest, ut quæ erat Legis naturalis materia, non amplius sit talis; poterit igitur quavis materia ex quavis lege naturali quodammodo extrahi: quo certè casu omnis nat. lex deficeret, ac proin mutationem propriam subiret. *Resp.* Hæc mutatio materiæ tunc solùm habet locum, cùm materia ipsa divinæ potestati subjecta est, non autem procedit in casu, quo Jus nat. respicit materiam Dei arbitrio haud subjectam; qualis est *idolatria, mendacium, &c.* Atque hinc oritur quædam differentia inter præcepta primæ & secundæ tabulæ: nam illa nec mutationem impropriad accipere possunt, horum pleraque mutationis hujusmodi capacia sunt.

Inst. 1. Illa mutatio impropria cur dici nequeat dispensatio, ut adedò verum sit, Deum in lege nat. dispensasse? *Resp.* Dispensatio est exemptio subditi ab obligatione legis per legitimum superiorem facta, ejusdem legis vinculo reliquos subditos constringente. Cùm verò nat. lex impropriad mutationem subit, non fit talis exemptio, nam Deus non facit, ut furtum uni sit licitum, & prohibitum aliis, sicut v. g. comestio carnis die alioquin veneris prohibita cæteris, uni sit licita per dispensationem legitime obtentam, sed materiam duntaxat mutat, ne amplius sub legem prohibentem cadat. Ubi id rectè observatur, varias esse in Deo rationes: est enim *supremus Legislator*, unde habet, ut possit præcepta dare; est etiam *supremus Dominus*, qui

344 DE LEGE NATURALI.

potest mutare dominia, auferre his, & in alios transferre; est item *supremus Judex*, qui potest punire, vel unicuique reddere, quod ipsi debetur. Jam verò *dispensatio* propriè ad Deum sub prima consideratione pertinet, quia ejusdem est potestatis condere, & tollere legem. Itaque ut intelligatur Deus dispensare, oportet, ut utendo sola illa jurisdictione, & non adjungendo potestatem dominativam, per quam res ipsas immutat, licere faciat, quod antea non licebat, nò si per dominium suum mutet illud hominis, hoc non est dispensare, sed mutare, & tollere materiam legis.

Inst. 2. Deus præcepit *Abrahamo*, ut *Isaac* filium suum innocentem occideret. *Gen. 22.* Hebræi ex nutu, & voluntate Dei (*Exod. 11.*) vasa aurea & argentea Aegyptiorum secum asportarunt. Deus obstetricibus Aegyptiis remuneratus est mendacium, ædificando illis domos *Exod. 1.* *Naaman* Syrus cum *4. Reg. 5. v. 18.* ab *Eliseo* Propheta petiisset veniam adorandi idolum, hic ad eum dixit: *Vade in pace*, quin adorationem idoli prohiberet. Sic quoque Deus dispensavit cum Patriarchis *V. T.* in *polygamia* naturali cæteroquin lege prohibita: nisi velis, Sanctos illos Viros graviter peccasse; quin Deus scelera hujusmodi ultum ìverit. *Resp. Ad 1mum.* Occisio etiam innocentis, quæ jussu Dei fit (fieri autem potest, quia supremus vitæ dominus est) injusta non est; igitur nec nat. Jure prohibita. *Ad 2dum.* Deus supremo suo dominio usus vasorum aureorum & argenteorum Dominium ab Aegyptiis in Hebræos transtulit, quin potestate suâ legislativâ uteretur; ac proinde non dispensavit. *Ad 3tium. Exod. c. 1. v. 21.*

v. 21. ita legitur: *Et quia timuerunt obstetrices Deum, edificavit eis domos.* Ad 4^{um}. Versus 18. sic habet: *Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo: Quando ingreditur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam; si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* Ex quibus colligitur, duo veluti sciscitatum fuisse Naamanem ex Elisæo: utrum sibi liceret manus substernere Regi idolum adoranti? & utrum in eodem templo licitum sibi foret adorare Deum verum? (nam v. 17. *Dixit Naaman.. obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim ultra faciet servus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino*) Utrumque licere significavit *Elisæus* dicens. *Vade in pace.* Ad 5^{um}. Polygamia tunc solum Jure nat. prohibita censetur, cum uni viro non competit Jus ad plures non suas: poterat autem Deus dare uni ad plures accedendi facultatem, quin inde sequatur, factam fuisse dispensationem in lege nat. Fere sicut fornicatio Jure nat. prohibita est, non tamen matrimonium legitimum. Nempe Deus non minus habet dominium in corpora humana, quàm in cæteras res sublunares. Hodie igitur cum Polygamia Jure nat. prohibita dicitur, inde est, quia Deus non dat Jus nisi in corpus unius. Cæterà illa duntaxat Polygamia Jure nat. semper fuit, & nunc quoque censetur prohibita, quæ est accessus ad plures non suas: qualis non fuit illa Patriarcharum V. T.

346 DE LEGE NATURALI.

Inst. 3. Deut. 23. Deus cum Israëlitis dispensavit in præcepto, *non fœnerandi: Non fœnerabis fratri tuo pecuniam ad usuram, nec fruges, nec aliam quamlibet rem: sed alieno.* Et *Judic. 16.* probavit suicidium *Samsonis*, cùm illi pristinam fortitudinem restituit. *Resp. Ad 1mum, & 2dum:* in utroque casu Deus egit pro supremo suo domino: qui enim voluit, ut Israëlitæ hostes suos penitus excinderent, eorumque terras occuparent; is quoque lucri ex mutuo provenienti, vel potius rei illius, quæ ultra sortem pendebatur (nam in rigore loquendo non erat lucrum ex vi mutui proveniens, sed mutuum duntaxat erat conditio, qua positâ res illa solvebatur) dominium in Israelitas transferebat. Quique *Samsoni* aliàs dederat robur viresque, ut *Philisthæos* percuteret, easdem hac quoque vice reddidit, ut moriens Dei, & populi Israëlis hostes ulcisceretur.

Inst. 4. Matrimonium consummatum ex Jure naturæ est indissolubile, & tamen *Deut. 24.* Deus ejusdem dissolutionem Judæis permisit per libellum repudii. Item *Oseæ I.* mandavit huic Prophætæ Deus, ut sumeret sibi uxorem fornicariam faceretque filios fornicationum. *Resp. Ad 1mum.* Indissolubilitas matrimonii consummati rectius ad legem divinam positivam refertur. Unde *Christus Matth. 19.* provocat ad primævam matrimonii institutionem, dicens: *Non legistis: quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una . . . Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ad *2dum.* Non est jussus à Deo

Deo *Oseas*, ut fornicaretur, & accederet ad non suam, sed ut sumeret sibi uxorem, quæ fornicaria publica erat; liberi autem ex ea legitimo matrimonio junctâ nati dicebantur filii fornicationum, quia & istis macula antiqua matris adhaerebat.

Obj. II. Ecclesia dispensat in votis, in juramentis, in matrimonio rato, quæ omnia naturaliter obligant. *Resp.* Non idcirco Ecclesia dispensat in Jure naturæ, quia non facit, ut stante voto, vel juramento nulla detur obligatio, quod propriè esset dispensare in lege naturali. Sed cum voluntas voventis potestati Ecclesiasticæ subjecta sit, juxta illud ad *Rom* 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; Ecclesia pro sua, quam à Christo accepit, Jurisdictione, rescindit actum voluntatis, quo quis vovit, vel juravit, præsertim cum vovens aut jurans isto sese vinculo liget cum generali hac & imbibita conditione: *quandiu Superior legitimus non contradixerit, aut vinculum obligationis non solverit.* Nimirum vota, & juramenta à Deo non acceptantur, nisi quatenus ab Ecclesia prius acceptata sunt, & ratihabita. Pariter materia matrimonii rati, quæ est contractus, aut mutua contrahentium voluntas, Ecclesiæ subjecta est. Nec datur obligatio naturalis nisi quamdiu mutuus ille consensus per legitimam potestatem sublatus non est. Idem esto judicium de cæteris dispensationibus circa *residentiam Episcoporum personalem*, hæc enim tunc solum jure naturæ præcepta intelligitur, si nemo sit, qui vices Episcopi suppleat, gregemque subjectum pascat. Circa *beneficiorum pluralitatem*, quæ licita sit per necessitatem, aut majorem Ecclesiæ utilitatem.

Obj.

348 DE LEGE NATURALI.

Obj. III. Ipsa adeo potestas civilis in lege nat. dispensat, dum pacta rescindit, quæ naturaliter obligant. *Resp.* Nulla hîc accidit mutatio propriè talis in Jure naturali: sicut enim ipsi contrahentes mutuo consensu recedere à conventionem possunt, quin lex naturalis propriè mutetur (nam obligatio naturalis tamdiu solum datur, quamdiu stat pactum legitimum) ita & civilis potestas rescindere, aut irritare contractum potest citra Legis nat. mutationem, quia res in contractum deductæ eidem potestati subjectæ sunt, immo & ipsorum contrahentium voluntas & consensus, quo sublato per se cessat obligatio naturalis.

Obj. IV. Jus divinum positivum patitur mutationem propriè talem; cur non etiam Jus naturæ? *Resp.* Jus positivum est actus liberrimus divinæ voluntatis: proinde ad certum duntaxat tempus ferri à Deo potest. At Jus nat. est ordinatio divinæ voluntatis necessaria, ex ipsis divinis perfectionibus exigens semper esse: est enim impossibile, ut Deus non sit infinitè bonus, sapiens & providus Autor, & Governator naturæ rationalis. Atque hinc etiam nullo Jure positivo effici potest, ut aliquid liceat contra Jus naturæ; quamvis fieri possit, ut aliquid liceat præter nat. Jus, apponendo videlicet, vel adimendo aliquam circumstantiam ex parte objecti, qua id esse desinat sub obligatione Juris naturalis, mansurum aliàs sub illa, si circumstantia hæc abesset. Patet in *præscriptione*, qua ei, qui bonâ fide possedit aliquid alienum toto tempore requisito, fas est transacto hoc tempore retinere illud, etsi resciat fuisse alienum. Quod seclusâ præscriptionis lege foret contra Jus naturæ, eo quod esset retentio rei alienæ invito rationabiliter Domino. *Obj.*

Obj. V. Jus naturæ admittit interpretationem; ergo etiam epikiam propriè dictam. *Resp. Esto A.* Interpretatio exponit verba obscura, & dubia, ex aliis principiis limitationem, aut declarationem admittentia: atque sic potius quæritur: utrum hæc & nunc detur præceptum naturale? Epikia autem est opinio, quæ judicamus, quòd licet verba præcepti sint clarè obligativa, voluntas tamen Legislatoris sit, ut in certis circumstantiis subditus non obligetur; quæ opinio locum non habet in legibus naturalibus. Cæterà stante dubio pratico circa legem naturalem, semper tutius est eligendum, alioquin operans ageret cum virtuali legis contemptu.

CAPUT II.

De Lege Mosaica.

Legem naturalem recto ordine excipit Lex divina 124.
positiva, quæ duplex distinguitur, *Mo-* Lex
saica ab ejus Scriptore *Mose*, & *Evangelica*: illa Mo-
etiam dicitur *vetus*, quatenus huic *novæ* opponi- saica.
tur, quam tempore antecessit. *Lex Mosaica* continetur in Pentateucho: in illa triplicis generis præcepta distinguuntur: alia sunt *moralia*, quæ pertinent ad informandos ad pietatem interiorem virtutemque animos, atque ad legem naturalem revocantur. Erant numero decem, quæ Deus lapidibus inscripta Judæis servanda dedit. Sunt ferè eadem, quæ in Decalogo continentur, ita, ut tria priora ad Deum, posteriora septem ad proximum pertineant. Quamvis autem ad legem naturæ præcepta hæc moralia spectent, convenienter tamen lege etiam positivâ comprehensa sunt, ut sic ignoran-